

plum sumitur ex Extravag. *Ambitiosa*, de Rebus Eccles. non alien., ubi inferiores prælati et rectores ecclesiarum, qui suorum beneficiorum bona contra præscriptum illius legis alienaverint, privantur suis beneficiis, per verba de præterito, *privati existant*, et additis præterea his particulis, *ipso facto, et absque alia declaratione vacare censeantur*. Quæ ultima verba nullam patiuntur tergiversationem, quia non vacat beneficium, nisi quando amittitur titulus et dominium ejus: ergo ex vi talis legis, ante omnem sententiam etiam declaratoriam amittitur beneficium, unde fit, ut statim oriatur obligatio in conscientia renuntiandi illud. Et ita intelligunt poenam illam Cajet. in Sum., verb. *Excommunicatio*, c. 75; Navar. in Summa, c. 27, n. 160; Corduba, dicta q. 36, et alii, quamvis addant, legem illam, quoad talem poenam, contraria consuetudine derogatam esse, vel multis in locis, vel ubique, quod ad præsens institutum non refert.

15. *Quartum exemplum de occidentibus per assassinos.*—In dicto exemplo non infertur privatio beneficii ante judicis declarationem de delicto, sed nec excommunicatio. — Quartum exemplum sumi potest ex cap. *Pro humani*, de Homicid., in 6, ubi occidentes alios per assassinos privantur beneficiis ipso facto, et eodem tenore, et eisdem verbis, quibus excommunicantur, hoc modo: *Excommunicationis, et depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, et beneficio incurrat sententias ipso facto*. Et præterea additur: *Et illa libere aliis per illos, ad quos eorum collatio pertinet, conferantur*. Ubi est ponderanda illa particula *libere*, quæ indicat beneficia illa vacare ipso facto, et ideo posse aliis conferri *libere*, id est non vocato possessore, nec admissa aliqua exceptione, ut Glossæ exponunt, et ita utitur hoc exemplo Corduba, d. quæst. 36. Verumtamen, licet exemplum vix possit ad praxim reduci, juxta illa quæ de illo delicto diximus in § t., disp. 23, sect. 5, n. 46; nihilominus, ut vim talium verborum explicemus, revera illud exemplum magis ad præcedentem regulam confert, quam ad præsentem. Nam ibi non infertur privatio beneficii ante judicis declarationem de delicto, quia in textu ipso expresse additur: *Postquam probabilibus constituerit argumentis, aliquem tam execrabile scelus commisisse*, non esse necessariam aliam sententiam: ergo ad incurrendam priorem poenam, et ut beneficia libere possint conferri, necesse est ut prius de scelere constet probabilibus argumentis. Quod maxime videtur intelligen-

dum, debere constare judici, ut judex est, ac subinde per seipsum debere declarari. Quod sentit Felin. in c. 2 de Fid. instrument. n. 9; addit tamen sufficere, ad hoc declarandum, vehementem præsumptionem ex indiciis et conjecturis, quæ rem faciant moraliter indubitabilem. Posset etiam hoc extendi ad notitiam facti publicam, ita ut, si delictum sit ita publicum ut nulla tergiversatione celari possit, omnes illæ poenæ in actu incurrantur. Quod est probabile saltem quoad poenam excommunicationis. Contrarium vero est probabilius quoad omnes, quia de omnibus textus loquitur, et verba illa magis proprie et juridice referuntur ad probationem delicti in judicio, et non sunt extendenda in lege odiosa, maxime quia poenæ sunt multæ et gravissimæ, quæ merito requirent notitiam juridicam delicti. Unde obiter adverto duo: unum est, quod in illo textu ex vi illorum posteriorum verborum etiam sententia excommunicationis non incurritur ante declarationem judicis de delicto, quod est ibi speciale, quia particula *ipso facto* expresse limitatur per posteriora verba. Aliud est, quod, licet verba illa ultima non adderentur, nihilominus privatio beneficii non incurreretur ante sententiam ex vi priorum verborum, quia verbum *ipso facto* non sufficit, et illud *libere conferatur* requirit actum hominis, et consequenter debitum ordinem per sententiam, saltem declaratoriam criminis.

16. *Quintum exemplum, ex Motu proprio Pii IV contra committentes simoniam confidentialem; sed videtur poena illa de privatione instantanea derogata consuetudine.* — Quintum exemplum sumi solet ex Motu proprio Pii IV contra committentes simoniam confidentialem, quem refert Navar., cap. 23, n. 110, et concedit in eo casu contrahi hanc poenam statim, et sentit legem illam obligare ad renuntianda beneficia ante omnem sententiam, quia Pontifex dicit, *præsertim auctoritate privamus*. Ego vero in tomo primo de Relig., lib. 4 de Simon., cap. 43, in fine, censui poenam illam non ita incurri ante sententiam declaratoriam criminis, ut cogatur quis se spoliare beneficio, aut fructibus postea perceptis, quia illa verba tantum continent sententiam condemnatoriam, et æquivalent simplicibus verbis *ipso facto*, et non additur expresse particula excludens necessitatem sententiæ declaratoriæ, et ita exemplum hoc videtur magis pertinere ad proxime præcedentem regulam, quam ad præsentem. Nunc vero attentius considerando initium illius clausulæ de illa resolutione du-

bitare cœpi. Præmiserat enim Pontifex plures cautiones et circumstantias, quibus facile concederet viam ad probandum in judicio hoc delictum, etiamsi magna cautela, et sollicitudine a delinquentibus occultaretur, et deinde subjungit: *Sed, ne quisnam vana fiducia fretus non intendendi contra se judicii, in crimine perseveret, omnes et singulos, etc.* In quibus verbis aperte declarat Pontifex, voluisse omnino præcludere viam permanendi in tali delicto, vel committendi illud, spe subterfugiendi judicium et consequenter poenas, et ideo statuisse tali modo omnes illas poenas ut ad illarum effectum plane contrahendum nullum judicium necessarium sit, et consequenter nec sententia declaratoria. Ergo ne frustraret intentio Pontificis, et lex illa in hac parte vana et inutilis reddatur, necesse est fateri poenas illas omnino contrahi, et obligare ante omnem judicis sententiam declaratoriam; quia hæc etiam sententia non fertur sine ordine judiciario, et requisitis probationibus. Quapropter, in rigore loquendo, et spectata mente legislatoris, ita mihi dicendum videtur, et ita hoc exemplo recte explicatur posterior pars hujus regulæ. Probabile autem est, poenam illam non esse in hoc sensu communiter receptam, et ideo fortasse esse illi derogatum in hac parte per communem consuetudinem, quæ tolerabilis judicari potest, quia revera poena est valde rigorosa.

17. *Sextum exemplum, de examinatoribus simoniaci.*—Sextum exemplum hic addo ex Concilio Trident., sess. 24, cap. 18 de Reformat., ubi examinatores beneficiorum, simoniam in examine committentes, videntur ita privari beneficiis prius obtentis, ut ad illa dimittenda statim in conscientia obligentur, quia ibi dicitur, ut absolvi non possint a peccato simoniæ: *Nisi dimissis beneficiis quæ quomodocumque antea obtinebant*; ibi enim aperte videtur loqui Concilium de absolutione a culpa in foro sacramentali; tum quia loquitur de absolutione a vicio simoniæ, non a censura; tum etiam quia, si loqueretur de absolutione in judicio externo, non diceret, *Nisi dimissis beneficiis*, (quæ verba significant voluntariam dimissionem), sed diceret, *nisi ablati beneficiis*, utique per judicem a quo esset absolutio danda. Præcipit ergo Concilium, ut tales non absolvantur sacramentaliter, nisi dimissis beneficiis: ergo obligat illos in conscientia ad dimittenda beneficia, quia alias non posset præcipere ut non absolvantur, quia si non tenentur dimittere beneficia, non pec-

cant non dimittendo: ergo possunt agere poenitentiam de priori delicto, et sufficienter disponi. Nec enim dici potest illam fuisse quamdam reservationem peccati, quia neque ibi est verbum indicans reservationem, nec reservatio fieri solet præcipiendo simpliciter negationem absolutionis, nec conditio illa adhiberi solet in similibus legibus, nisi quia absque tali conditione homo non potest bene disponi ad absolutionem, propter obligationem in conscientia quam habet ad talem conditionem implendam: hanc ergo obligationem habent examinatores simoniaci ex vi illius legis; nam aliunde illam habere non possunt. Illa ergo forma puniendi plane inducit ipso facto hanc obligationem, ut sensi etiam lib. de Simon., c. 58, n. 3. Unde etiam videtur posse inferri, per illam legem privari delinquentes beneficiis suis, quia non possent alias in conscientia teneri ad illa dimittenda, nec actio dimittendi beneficium proprium solet directe præcipi, sed solum quatenus consequitur ex privatione tituli et carentia beneficii. Quod est quidem probabile, sed incertum, quia non sunt ampliandæ poenæ adeo graves, minusque onerosum est, ut quis solum obligetur dimittere suum beneficium, quam ut ipso facto illo spoliatur, cogaturque illud dimittere tanquam non suum; nec posset illud retinere sine nova oblatione et titulo, neque fructus ejus, si forte illos aliquo tempore percepit. Videtur ergo limitanda illa poena ad vim verborum, et quoad hoc potest illud exemplum acceptari.

18. *Septimum exemplum, de Cardinalibus simoniaci in electione Pontificis.*—Septimum exemplum sumi potest ex ult. Concil. Lateran., sess. 5, sub Julio II, ubi contra Cardinales simoniacos in electione summi Pontificis fertur poena privationis beneficiorum sub hac forma: *Eo ipso absque alia declaratione privatus existat*. Circa quam formam non est nunc tractandum, an illa constitutio habeat nunc vim suam in illo particulari casu, vel usu revocata sit (hoc enim in proprio loco actum est); sed inquiri non immerito potest ac debet an forma illa ferendi talem poenam sufficiat ad obligandum beneficiatum ad spoliandum se beneficio, illud renuntiando ante omnem judicis sententiam, et consequenter an faciat fructus suos, si illud retineat, vel teneatur illos restituere in conscientia similiter ante omnem sententiam. Aliqui enim dixerunt, non obstante illo rigore verborum, expectandam esse sententiam declaratoriam criminis. Ita sentit Covar. in 4, 2 part., § 8, num. 3

illat. 3. Fundatur, quia etiam post sententiam condemnatoriam, quando leges pœnales illam requirunt, non tenetur in conscientia reus condemnatus privare se suis bonis, aut illa reddere fisco, sed iudex debet exequi pœnam, cui reus non potest resistere: ergo multo minus obligatur in conscientia quis propter solam legem, etiamsi maxime dicat ante omnem declarationem; sed ad summum in foro exteriori poterit puniri, quia illam non servat. Hoc enim ultimum etiam insinuat Covar. respondendo ad Sylvestrum, licet non satis aperte loquatur: unde etiam indicat, si aliquid operatur illa particula, *ante omnem declarationem*, esse in ordine ad forum externum, non quoad obligationem conscientiae. Atque hanc opinionem sequitur Vasq. 1. 2, disput. 168, cap. 4, n. 15; solum quia plures leges habent illam loquendi formam, essetque nimis asperum omnes illas ita interpretari. Quis vero sit effectus illius particulæ, ne inaniter in lege posita videatur, ibi non explicat, sed explicaturum promittit, non tamen invenio ab ipso declaratum, nisi fortasse id intendat in loco infra citando.

19. *Communis sententia opposita.*—Contra-ria sententia communis est: nam a fortiori illam tenet communis opinio canonistarum supra citata, et Navar., et Cordub., et maxime Castro; imo etiam Soto, dicto loco citato ad 8, fatetur hanc esse vim illius particulæ, *ante declarationem*, confugit tamen ad pœnas conventionales, et tandem dubitat de usu, propter rigorem talium legum. Expressius vero magisque in particulari hanc opinionem docuit Sylvest., verb. *Assassinus*, in fine, et verb. *Emphyteusis*. Ratio vero est, quia illa verba, ex vi particulæ *ipso facto*, continent sententiam condemnatoriam, et addendo alteram, scilicet, *absque alia declaratione*, expresse excludunt necessitatem sententiæ declaratoriae, et ita relinquuntur condemnatio absoluta, et sine ulla conditione vel mora: ergo statim operatur et per se exequitur talis lex pœnam quam imponit. Probatur consequentia, quia nec deest potestas in legislatore, ut supra probatum est, nec voluntas, cum per illa verba satis explicetur, ut ostensum est.

20. Et declaratur amplius, ac confirmatur, quia alias verba illa essent inania, neque efficerent quod significant: imo nec effectum aliquem morale habere possent. Nam quod Covar. respondere videtur, nimirum in foro conscientiae non habere effectum, habere tamen posse in ordine ad forum externum, hoc (inquam) non video quomodo subsistere possit;

quia multo minus potest quis incurrere pœnam in foro exteriori ante declarationem, quam in interiori, quia non potest iudex exequi pœnam in aliquem priusquam declarat illum commississe delictum, et ita non solum ad id non obligatur, verum etiam nec juste potest id facere. Reus autem ex se potest licite, et per legem illam videtur obligari: non esset ergo ullius momenti obligatio, nisi esset in conscientia.

21. *Covarrus refutatur.*—Diceret fortasse Covar. particulam illam operari in ordine ad forum externum, non quia det licentiam iudici exequendi pœnam ante declarationem delicti, ut bene probat ratio facta; sed quia facit, ut ante omnem declarationem delinquens censeatur incurrere pœnam, non quidem tunc exequendam, sed postea subsecuta declaratione. At hoc duobus modis potest intelligi. Primo, ut ex vi talis legis delinquens postea puniri possit speciali pœna, eo quod statim ac deliquit non solvit pœnam, vel non renuntia- vit beneficium nulla expectata declaratione. Et hic modus probabilis non est, nec sibi constans: tum quia si ille reus non obligatur statim ad exequendam pœnam ex vi talis legis, nullaque expectata sententia declaratoria, cur debet postea puniri, quia id non fecit? Vel si tenebatur ex vi legis, et ideo postea juste punitur tanquam fractor legis, cur illa obligatio non erit in conscientia, cum per legem præcipientem imponatur? Deinde (quod caput est) in illis legibus non agitur de punitione talis moræ in exequenda pœna, sed tantum de imponenda tali modo pœna pro alio delicto: ergo ficta est et voluntaria talis interpretatio. Quocirca, licet in similibus casibus possit fortasse iudex ecclesiasticus postea punire beneficia- tum, qui post tale delictum beneficium retinuit, et in illo ministravit, hoc solum erit ex officio suo, et alia pœna fortasse arbitraria, et ad hoc ipsum necesse est supponere obligationem relinquendi beneficium ex vi talis legis pœnalis, quod nunc agimus.

22. Alio ergo modo potest exponi illum privari ante declarationem, quia postea, declaratione secuta, pœna retrahitur a die commissi criminis, ac si tunc fuisset executioni mandata, atque hunc solum effectum tribuit illis verbis Vasq. disput. 173, cap. 2, neque alium apud ipsum reperio. Mihi autem non satisfacit: nam hunc effectum habet lex pœnens similem pœnam ipso facto, vel ipso jure, etiamsi ulteriorem particulam non addat: ergo per hunc effectum non explicatur quid denuo faciat illa conditio, *absque alia declaratione*, vel,

*nulla monitione præmissa.* Nec enim dici potest talia verba addi ad exaggerationem vel majorem declarationem præcedentis vocis ipso facto; tum quia est contra manifestam intentionem legislatorum, qui optime noverunt particulam *ipso facto* juxta communem interpretationem usu receptam, non excludere in his pœnis necessitatem sententiæ declaratoriae, et ideo, ad excludendam illam addunt particulam prædictam, et recte intelligitur ex dicto loco Concilii Tridentini, sess. 23, cap. 1 de Reformat. ibi, *nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta illos sibi detinere posse*: nihil enim aliud per illa interposita verba efficere voluit, nisi excludere necessitatem sententiæ declaratoriae; tum etiam quia, ut supra dixi, illa interpretatio legum habet locum, quando verba revera sunt synonyma, et alia ratione multiplicari non possunt in eadem lege: hic vero voces non sunt synonymæ, et in omni proprietate intelliguntur addi propter proprios effectus et significationes, ergo non sunt eludenda et interpretanda, ut vana et inutilia reddantur.

23. Fundamentum autem Covar. falsum sumit: nam, ut ostendam capite sequenti, in his etiam pœnis, quæ per iudicem imponendæ sunt ex virtute legum, post latam sententiam tenetur reus pœnam exequi juxta præscripta verba sententiæ, et justam iudicis mentem, et hoc ipsum de lege dicimus, quando non solum fert sententiam, sed etiam præcipit executionem: hoc autem facit per verba prædicta, ut declaratum est. Dices: quamvis demus legem per illa verba, *sit privatus beneficium, aut bonis, ipso facto, et ante omnem declarationem*, tollere dominium rei aut beneficii, non tamen inde sequi obligare delinquentem in conscientia ad spoliandum se re sua, vel beneficio, quia hoc est durissimum præceptum, et in eis verbis nec formaliter continetur, ut constat, nec virtute, quia possessio et usus rei aliud est a dominio, et ita potest quis retinere possessionem rei et usum, quamvis dominium privetur. Multi enim ita sentiunt fieri in confiscatione bonorum, quæ per legem ipso facto fit. Et hoc modo habet sufficientem effectum illa particula *ante omnem declarationem*, quia ex vi illius statim vacabit beneficium quoad titulum et proprietatem, licet quoad possessionem et usum retineri possit.

24. Respondetur imprimis, quidquid sit de aliis bonis temporalibus, in beneficiis ecclesiasticis hoc non habere locum, et idem esse existimo servata proportione in officiis publi-

cis. Ratio autem est, quia beneficium ecclesiasticum non potest in conscientia retineri sine vero titulo; qui autem privatur beneficio, eo ipso privatur vero ejus titulo; item quia beneficium datur propter officium: qui autem est privatus beneficio omnino, ita ut beneficium vacet, jam non potest licite exercere officium proprium talis beneficii, et ideo non potest licite illud retinere, aut illo frui. Imo, tales effectus sic facti, quando requirunt jurisdictionem, erunt invalidi per se loquendo, et licet sustineatur propter titulum coloratum, possunt postea irritari, si alias irritabiles sunt, quia sententia retrahitur ad omnia: hæc autem sunt valde absurda. Item est ratio a priori, quia hæc beneficia non dantur principaliter propter recipientes, sed propter ministerium, et propter fideles, quibus ministrari debet; et ideo qui privatur beneficio removetur ab illo ministerio, ac subinde illud amplius retinere non potest. Quæ ratio in quibuscumque officiis publicis locum habet. Præterea sequetur absurdum de fructibus beneficii; nam vel illos faciet suos, qui sic retinet beneficium, vel non; primum dici non potest, quia nemo potest juste accipere fructus rei non suæ, neque sine vero titulo potest quis facere fructus suos: si autem dicatur secundum, qui fieri potest, ut quis possit juste retinere fructus non suos? Vel si non potest retinere, quomodo potest juste accipere? Vel si neque accipere illos juste potest, quomodo potest juste retinere beneficium cui debentur tales fructus? Igitur, si leges illæ per verba prædicta privent titulo et dominio beneficii, profecto etiam obligant in conscientia ad dimittendum illud, et hanc consequentiam in beneficiis omnes admittunt.

25. De aliis autem bonis fortunæ est magna quæstio, quam in materiam de Fide reservamus, ut supra dixi. Nunc ergo solum dico non esse de illis eandem rationem; tum quia leges civiles et canonicæ videntur ita interpretari pœnam illam, et concedere delinquenti naturalem retentionem talium bonorum, et usum in suum commodum et sustentationem, quamdiu non iudicatur de crimine, ut sumitur ex capite *Cum secundum*, de Hæret., in 6, et ex l. ult., c. ad Leg. Jul. Majestat., et expressius in l. Hispaniæ, part. 6, titulo 2, l. 4. Neque in hoc est repugnantia, etsi demus dominium transferri in fiscum; transfertur enim sub ea conditione et limitatione, ut interim, dum non profertur sententia declaratoria, antiquus dominus retineat possessionem naturalem, et administrationem, ac certum quendam usum

talium bonorum. Quod etiam non repugnat conditioni talium bonorum temporalium, quæ ad privata commoda possidentis ordinantur, et pravis etiam hominibus facile concedi possunt: in beneficiis autem ecclesiasticis nunquam hoc leges declararunt, nec esset consentaneum illorum naturæ et institutioni, ut declaratum est.

26. Ad fundamentum autem secundum ejusdem sententiæ respondeo, majus inconveniens esse, omnes leges sic loquentes ita exponere ut inutiles fiant, et severitatem fortasse ad commune bonum necessariam amittant. Deinde dico, licet videatur durum ita interpretari leges omnes ponentes illam particulam, tolerandum nihilominus esse, quia ita scriptum est, ut de legibus canonicis dicitur in cap. *In memoriâ*, distinct. 19, et de civilibus in l. *Prospexit*, ff. Qui et a quibus, eo vel maxime quod leges punientes cum tanto rigore raræ sunt, nisi in gravissimis criminibus. Et præterea in bonis temporalibus, quando omnia confiscantur, in jure ipso habent limitationem et declarationem supra explicatam: in aliis vero bonis beneficialibus poterit etiam prudens moderatio secundum rationem naturalem adhiberi, nimirum, ut hæc obligatio sit per se, per accidens vero excusari possit seu impediri illius executio, vel quando sine gravi infamia et publicatione delicti fieri non potest, vel quando necessarium esset ab statu cadere, et in gravi necessitate pro vita sustentanda constitui; tunc enim licitum erit suspendere executionem, dummodo ad superiorem fiat recursus, ut remedium adhibeat, et beneficium aut officium restituat, et poenam commutet aut temperet, quod sine infamia potest occulte fieri consilio viri prudentis, quo in similibus casibus semper utendum est.

## CAPUT IX.

QUE OBLIGATIO ORIATUR IN CONSCIENTIA AD EXECUTIONEM PŒNÆ PRIVATIVÆ EX LEGE IMPOSENTE ILLAM IPSO FACTO, QUANDO EXECUTIO PŒNÆ ACTIONEM NON REQUIRIT.

1. Ex regulis superiori capite propositis, prima communis est omnibus pœnis privativis, et ideo de illa jam non tractamus; secunda vero et tertia tantum propositæ sunt de pœnis, quæ, licet proxime privationem inducant, in actione consummantur. Et ideo superest dubium qua ex his regulis utendum sit, in pœnis pure privativis, quæ ad plenam executionem

nullam hominis actionem requirunt. De quibus certum a fortiori est quod, si in lege dicatur *ipso jure*, et addatur *absque alia declaratione*, vel quid sin ille, statim absque mora lex ipsa exequitur pœnam, quia potest, et nihil est quod expectetur, ut probatum est. Dubium ergo solum est, an simplex verbum *ipso facto* sufficiat in his pœnis, quæ distingui possunt: nam interdum sunt quasi passivæ, ut esse ineligibilem, esse incapacem bonorum, et similes, quæ tollunt passivam capacitatem, seu habilitatem; aliæ vero dici possunt activæ, quæ privant voce activa, seu reddunt inhabilem personam ad ferendum suffragium, ad eligendum, et similes.

2. *Regula generalis pro particula: ipso facto.* — De his ergo est valde recepta sententia, quoties lex pœnalis cum additione *ipso facto*, vel simili, imponit hujusmodi inhabilitatem, etiamsi non addat *absque alia declaratione*, vel aliud æquivalens, inducere statim illam inhabilitatem ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis. Ita tenent aperte Cajetan. 2. 2, quæst. 62, art. 3; Sylvest., verb. *Assassinus*, Navar., Cord. et alii in cap. 1 de Const., et Tiraq. supra. Consentit etiam Medin. 1. 2, quæst. 96, artic. 4; et in his pœnis idem sentit Covar., in 4, part. 2, cap. 8, § 5, num. 8, loquens de incapacitate ad hæreditatem paternam, quæ illegitimis spuris imponitur ipso facto per leges, quamvis illa non tam sit filiorum pœna, quam parentum. Idemque ait in regula *Peccatum*, 2 part., § 6, de Lege quæ in pœnam impedit acquisitionem domini alicujus rei, ut ex Concilio Lateran. supra retuli, et ex Trid., sess. 23, cap. 1 de Reform.; et simile habetur in sess. 22, c. 3; et Soto, lib. 10 de Justit., quæst. 5, art. 6, non audet hoc negare, saltem de impedimento pure passivo: semper tamen reducit has pœnas ad conventionales, quia beneficia vel officia dantur sub his conditionibus. Quod, ut sæpe dixi, voluntarium et insufficient est; tum quia illæ leges generaliter feruntur, etiam pro his qui ante illas beneficia vel officia obtinebant; tum etiam quia non pendent ex pacto vel conventionione, nec illo intuitu feruntur, nec requirunt scientiam aut consensum talis pacti, sed ex mera potestate legislativa feruntur.

3. Probaturque ex cap. *Cum singula*, de Præbend. in 6, ibi: *Ex tunc eo ipso efficiatur ineligibilis*; et in fine: *Reddantur ineligibiles ipso jure*; ubi omnes intelligunt, cum Glossa, illam pœnam statim incurri, ita ut electio de tali persona facta nulla sit, et tamen inhabili-

tas illa, seu ineligibilitas non nascitur ex aliquo pacto, vel conventionione, sed pure ex efficacia legis. Aliud exemplum hujus assertionis sumi potest ex Motu proprio Pii V contra simoniacos, ubi, recipiens beneficium per simoniam redditur inhabilis ipso jure ad beneficia, quæ pœna statim etiam incurritur ante omnem sententiam, ut proprio loco dixi, stante illa lege in sua vi. Huc etiam spectant canones, qui in pœnam alicujus delicti, ut uxoricidii, reddunt personam inhabilem ad matrimonium ut constat ex cap. 1, et cap. *Super eo*, et cap. *Significasti*. De eo qui duxit in matrimonium quam polluit, etc. Verum est in his juribus non haberi particulam *ipso facto*, vel similes, sed ex effectu colligi inhabilitatem ipso facto, quia talia matrimonia censentur irrita, et ita illa jura non probant an alia jura per solas particulas prædictas censeantur illam inferre.

4. *Præbendati sine justa causa non promoti intra annum ad ordines suis præbendis annexos ex tunc privantur voce activa in Capitulo.* — Præterea de privatione quasi activa est optimum exemplum in Clement. *Ut is qui*, de Stat. et qualit., ubi præbendati in ecclesiis cathedralibus, qui sine justa causa non promoventur intra annum ad ordines suis præbendis annexos, *ex tunc* privantur voce activa in Capitulo. Quod intelligitur ante omnem sententiam, juxta Glossam, Cardin. Bonif. et omnes; plura afferemus infra, tractando de legibus irritantibus contractus. Ratio denique est, quia hic effectus est aptus fieri integre et perfecte per solam legem, et ita potestas non deest: voluntas autem legislatoris sufficienter significatur per illam vocem, neque est ullum iudicium fundamentum ad limitandum illam. Item, quia in hoc videntur hæ inhabilitates comparari censuris, et irregularitatibus, nec sufficiens ratio differentie assignari potest, neque ex usu aliud constat.

5. Ab hac vero sententia dissentit Soto, l. 1 de Just., quæst. 6, art. 6, ad 4, et lib. 4, q. 6, art. 3, circa finem; Ledesm. in 4, part. 2, quæst. 18, art. 2, § *Postremo hæsitat*, qui loquuntur de inhabilitate quasi activa ad ferendum suffragium; tractant enim specialiter de legibus universitatum, per quas pœna inhabilitatis imponitur scholasticis hoc vel illud committentibus, et docet tales pœnas non incurri, donec ipsi condemnentur. Et Ledesm. quidem non addit expresse *Licet lex dicat ipso facto, vel ipso jure*, sed indefinite loquitur, supponitque legem pœnalem nunquam aliter obligare ad pœnam; et eisdem fere ver-

bis loquitur Soto in posteriori loco: tamen in primo ubi ex professo rem tractat, aperte loquitur de legibus punientibus ipso facto, et extendit sermonem ad omnes electiones, et suffragia. Et præter rationes generales quas supponit, addit aliam, scilicet, quia alias vix esse posset tutus aliquis electus, vel qui cathedram per suffragia scholarium obtinuit, quia multi electo suffragantes fortasse inhabiles erant ipso facto, licet occulti. Hi vero auctores imprimis excedunt, quatenus indicant has leges in priori sensu intellectas, aut fore injustas, aut omnino excedere potestatem legislatoris humani: hoc enim satis improbatum est in superioribus, et ideo necesse non est hic ad rationes generales respondere: hoc enim satis in superioribus actum est. Deinde, ratio quam Soto addit, non est magni momenti. Negatur enim sequela, et primo dici posset de occultis Ecclesiam non judicare, et ideo merito approbari hujusmodi electionem seu collationem, et electum esse omnino tutum et securum, quia non tenetur malum præsumere, et præsertim contra se. Verumtamen, etiamsi electo constet aliquem sibi suffragantem fuisse inhabilem pœnali inhabilitate, et solum ratione illius cathedram obtinuisse, nihilominus dico electionem fuisse validam, quia, licet ille esset inhabilis reipsa, et quoad se, nihilominus erat minister toleratus, et publica auctoritate suffragium tulit, et ideo acta ejus tenuerunt, juxta regulam l. *Barbatus*, ff. de Offic. Præt., et saltem, quoad leges ecclesiasticas imponentes hanc pœnam, habet in eis locum moderatio Extravag. *Ad evitenda*, ut ille censeatur prohibitus quoad se, non quoad alios, et ideo ipse peccat suffragio ferendo, nihil vero nocet electioni quatenus ad alios pertinet.

6. *Fundamentum auctoris.* — *Objectio cum responsione.* — Ex quo potest communis sententia confirmari, quia, nisi ex vi hujusmodi legis obligetur talis homo, inhabilis factus, ad non eligendum, seu ad non ferendum suffragium, inutilis esset talis lex ipso facto imposita quoad particulam *ipso facto*: nullum enim morale effectum inde haberet, quod admitendum non est, ut supra ostendi. Dices, etiam tunc operari ut sufficiat postea sententia declaratoria criminis sine condemnatoria. Sed contra: nam tunc differentia erit verbalis potius quam realis. Declaratur, quia tunc non poterit sententia retrahi, quia non poterit irritari suffragium jam datum, vel electio ratione illius facta, quia revera fuit actus validus, ut ostensum est; ergo condemnatio non habet ef-